



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.3. Qualis fuerit pater tam piæ filiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

eum ardoribus sempiternis? Et Servator: nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Quod etiam per illustria sæpe exempla docuit Deus. Ego vnicum referam, ad hoc propositum valde idoneum; ex libro quem Sigebertus de Illustr. Ecclesiæ Scriptor. vocat librum *De vita & doctrina Patrum*; Gentianus Heruetus in præfatione versionis suæ Palladianæ existimat ipsum Palladium eum librum scripsisse; historiam certè in eo contentam refert Ioa. Damascenus in libro, qui inscribitur, *De ijs, qui cum fide excefferunt ex hac vita*. Interpretatus est eum ex Græco Ioannes S. R. E. Subdiaconus, edidit in lucem accuratius Heribertus Rosvveydus, ut adeò historia neque antiquitate, neque authoritate careat. Est autem talis.

Quidam ex Eremitis patribus authoritate pollens & pietate, per varia circumibat virorum ac mulierum cœnobia, ut ea visiteret. Is, in quodam loco senecta ætate virginem inuenit Deo, in assidua oratione, contemplatione, ieiunijs, asperrimisque corporis afflictationibus seruientem: cuius cum

Matthæ
10. 28.

Sigebertus
de Illustr.
Ecclesiæ
Scriptoribus.
in
Ioann.
c. cxviii.
Heribertus
Rosvveidus
in Vitis
PP. l. 6.
libello
de præuidentia,
seu contemplatione.
§. 15.

III
QUALIS
FVERIT
PATER
TAM PIAB
FILIAE

de virtutibus audiisset multa, eam, ut fieri solet de Vocatione sua interrogavit, scire volens causam, ob quam, speris mundi illecebris, ipsa tam duro se viuendi generi addixisset. Illa primùm oculos deiecta pudicos, aliquantulum cogitabunda tacuit; tum quasi post deliberationem præmissam in cælum suspiciens, manibusq; decussatim supra pectus iunctis, altùm ingemiscens ira loqui cœpit. Mihi, ô pater venerabilis, adolescentulæ adhuc diuersi moris erant parentes. Pater natura imbecillis, valetudine inconstans, sapius ægrotans, quàm sanus. Siue æger tamen, siue sanus, semper modestus, grauis, mansuetus, patiens. Si quando vires sinebant, numquã videbatur otiosus: aut enim in templo semper, aut in agro hortuë versabatur, ut Deum precando, terrã laborando coleret; tam ad aras, quàm ad areolas assiduus. Siquidem vbi superis honores detulit, vel sementem iecit, vel messe peracta fruges domum comportauit; itaq; turbas hominum vitauit, ut numquam sub tiliã stantes populares adiret, numquam publicè confabulantibus interesset, & vix vmquam ab ijs, qui in eodem vico degebant, nisi cum vel in templum, vel in agrum
proce-

procederet, conspiceretur; tantusque erat ei taciturnitatis amor, ut eum ignorantibus esse elinguis, aut sine voce crederetur. Maximam autem temporis partem in lecto, & morbo cubabat, dolore pariter & patientia plenus. Talis erat pater, quem non nisi alterum Iobum intuebar, aut magistrum pietatis.

Mater verò mea in contrarium palmam possidebat, ita firma corporis valetudine, adeò validis viribus, ut ab ineunte ætate & teneris unguiculis, nullo umquam fuerit morbo tentata, nec quidquam doloris experta sit; sed ab utero matris usque ad ultimum vitæ diem semper sana robustaque existerit. Nec forma illi deerat, nisi vultus decorem fœdasset morum turpitudine. Cum enim pater frequentibus morbis impeditus, rebus domesticis non quiret præesse, illi totius familiæ regendæ rerumque dispensandarum permisit potestatem. Fuit autem pessima dispensatrix: adeò, ut quamvis Deus magna satis nos opum abundantia donasset, tamen ea nobis non sufficeret. Nimirum quales mores, talis administratio illius fuit. In primis à labore abhorrebat, ut à peste aliqua. Sæpius foris quàm domi

cerne-

IV:
QVAM
IMPIA FVO
ERIT
OPTIMAS
FILIAS
MATER P